Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



ut inuisibiliter uobis apiatur. & inuisibiliter intretis. & inuisibiliter sanemi-
ni. Ergo dicam omnes. benedic anima mea dnm. Alloquamur omnes animam no-
stram. quia omnium nrm anima. per unam fidem una anima est. Et omnes nos quicunque in
xpm credimus. propter unitatem corporis eius unus homo sumus. Benedicat anima nra
dnm pro tantis beneficiis eius. pro tam multis & magnis muneribus gratiarum eius. que
munera inuenimus in hoc psalmo intenti. & excussa nebula carnalis cogita-
tionis. quantum possumus erecta mente. & quantum possumus directa acie. & quantum
possumus puro oculo cordis nri. quantum non impedit presens uita. quantum non occupat
uit rerum presentium desidia. quantum non excecat cupiditas scli. Erecti ergo audi-
turi sumus magnalia. & pulchra desidia. & plena leticie gaudiorumque mu-
nera eius. que iam ille qui conceperat istum psalmum uidebat animo. & ipsius uisi-
onis exultatione eructabat dicens. Tractatus.

BENEDIC ANIMA MEA DOMINVM. DOMI-
NE DEUS MEUS magnificatus es nimis. Vide mag-
nifica que dicturus est. in quibus magnificis. non utique nisi ille lau-
dandus est auctor omnium magnificorum. Confessionem & deco-
rem induisti. O dne ds. magnificatus es nimis. Vnde mag-
nificatus es nimis. Nonne semper magnus. nonne semper magni-
ficus. Numquid perfectus non es ut crescas. Numquid deficis ut
aliquando minuaris. Sed quia es quod es. & uere es. utique
nomen tuum dixisti moysi famulo tuo. Ego sum qui sum. Utique magnus es. &
magnitudo tua sempiterna est. Nec cepit. nec desinit. nec ab inicio temporis
incepit. nec usque ad finem temporis excurrit. nec aliquid in medio patitur. Incom-
mutabilis enim est magnitudo. Quomodo ergo magnificatus es nimis. Alius psalmus
admonet nos. Ait enim. Mirificata est scientia tua ex me. Si recte dicitur miri-
ficata est scientia tua ex me. recte dicitur. magnificatus es nimis dne ds mis ex
me. Sed & hoc adhuc querendum est. Ex me magnificatur ds mis. Ergo ex
me fit magnus. Docet nos aliquid & cottidiana oratio salutis nre. sanctificetur
nomen tuum. Cotidie petimus. cotidie rogamus ut fiat. Si nos quisquam interroget. quid
est quod petitis ut sanctificetur nomen dei. Aliquando enim sanctum non est. ut sanctificetur modo. Et
tamen nisi uellemus fieri. non petemus ut esset. Alia est enim gratulatio. alia oratio. Gratu-
lamur enim ex eo quod est. oramus ut sit quod nondum est. Quid est ergo sanctificetur nomen tu-
um. & intelligimus quod hic dictum est. dne ds mis magnificatus es nimis. Hoc est
sanctificetur nomen tuum. sanctum sit apud homines nomen tuum. Sanctum est enim semper nomen
tuum. sed quibus da inmundis non dum est sanctum nomen tuum. Dicit enim apls. Omnia
munda mundis. inmundis autem & infidelibus nichil est mundum. Si im-